HUGO DE SANCTO VICTORE
Entstehungsort unbestimmt, 12. Jh. Seite 42r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35481
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

similitudine argui et comprobari possunt. non quia ex fide et deuotio
ne precedentium sanctorum colligimus. quod ad illa que futura predicantur bo
na. increduli esse non debemus. Magna enim ratio hec est. et omnino fide
digna. quia nequaquam sancti et iusti omnes pro eterne uite desiderio tanta con
stantia presentem uitam nostram despicerent. si non amplius aliquid et ultra
nostram intelligentiam de illius ueritate presensissent. Sic itaque fides
substantia est rerum sperandarum. quia per eam iam quodammodo que futura sunt subsistunt in
nobis. et argumentum non apparentium. quia per ea que occulta sunt probantur a nobis.
Sed quia in hac descriptione non quid fides sit. sed quid fides faciat ostenditur. neque ea
que de preteritis vel de presentibus habetur fides diffinitur. si quis plenam ac generalem
le diffinitionem fidei signare uoluerit. dicere potest fidem esse certitudinem
quandam animi de rebus absentibus supra opinionem. et infra scientiam consti
tutam. Sunt enim quidam qui audita statim omnino repellunt. et contradicunt his que
dicuntur. et hi sunt negantes. Alii in his que audiunt alteram quamcumque
partem eligunt ad estimationem. sed non approbant ad affirmatio
nem. Quamuis enim unum e duobus magis probabile intelligunt.
utrum tamen an ipsum adhuc uerum sit asserere non presumunt. hi
sunt estimantes. Alii sic alteram partem approbant. ut ei approbationem
in assertionem assumant. hi sunt credentes. Post illa genera cogniti
onis illud perfectius sequitur. cum res non ex auditu solo. sed per suam presentiam
notificatur. perfectius enim agnoscunt qui ipsam rem ut est in sui presen
tia comprehendunt. hi sunt scientes. Primi sunt negantes. secundi dubitan
tes. tercii estimantes. quarti credentes. quinti scientes. Ex his ergo conici
potest quare fidem certitudinem appellauimus. quoniam ubi est adhuc dubita
tio. fides non est. Patet etiam quare ipsam certitudinem quamdam fidem appellauimus.
supra opinionem vel estimationem. et infra scientiam diximus esse constitu